

1 Pronuntiatio a plerisque actio dicitur, sed prius no-
 men a voce, sequens a gestu videtur accipere. Nam-
 que actionem Cicero alias « quasi sermonem », alias
 « eloquentiam quandam corporis » dicit. Idem tamen
 duas eius partis facit, quae sunt eadem pronuntiatio-
 nis, vocem atque motum: quapropter utraque appel-
 2 latione indifferenter uti licet. Habet autem res ipsa
 miram quandam in orationibus vim ac potestatem: ne-
 que enim tam refert qualia sint quae intra nosmet ipsos
 composuimus quam quo modo efferantur: nam ita
 quisque ut audit movetur. Quare neque probatio ulla,
 quae modo venit ab oratore, tam firma est ut non per-
 dat vires suas nisi adiuvatur adseveratione dicentis:
 affectus omnes languescant necesse est, nisi voce, vul-
 3 tu, totius prope habitu corporis inardescunt. Nam
 cum haec omnia fecerimus, felices tamen si nostrum
 illum ignem iudex conceperit, nedum eum supini se-
 curique moveamus ac non et ipse nostra oscitatione
 4 solvatur. Documento sunt vel scaenici actores, qui
 et optimis poetarum tantum adiciunt gratiae ut nos in-
 finite magis eadem illa audita quam lecta delectent, et
 vilissimis etiam quibusdam impetrant aures, ut quibus
 nullus est in bibliothecis locus sit etiam frequens in
 5 theatris. Quod si in rebus quas fictas esse scimus et
 inanes tantum pronuntiatio potest ut iram lacrimas
 sollicitudinem adferat, quanto plus valeat necesse est
 ubi et credimus? Evidem vel mediocrem orationem

commendatam viribus actionis adfirmarim plus habi-
turam esse momenti quam optimam eadem illa desti-
tutam : si quidem et Demosthenes, quid esset in to-
to dicendi opere primum interrogatus, pronuntiationi
palmam dedit, eidemque secundum ac tertium locum,
donec ab eo quaeri desineret, ut eam videri posset non
praecipuam sed solam iudicasse (ideoque ipse tam
diligenter apud Andronicum hypocriten studuit ut ad-
mirantibus eius orationem Rhodiis non inmerito Ae-
schines dixisse videatur : « quid si ipsum audissetis ? »)
et M. Cicero unam in dicendo actionem dominari pu-
tat. Hac Cn. Lentulum plus opinionis consecutum
quam eloquentia tradit, eadem C. Gracchum in de-
flenda fratri nece totius populi Romani lacrimas con-
citasse, Antonium et Crassum multum valuisse, pluri-
mum vero Q. Hortensium. Cuius rei fides est, quod
eius scripta tantum infra famam sunt, qua diu prince-
ps orator, aliquando aemulus Ciceronis existimatus est,
novissime, quoad vixit, secundus, ut appareat placuisse
aliquid eo dicente quod legentes non invenimus.

Et hercule cum valeant multum verba per se et vox
propriam vim adiciat rebus et gestus motusque signi-
ficet aliquid, profecto perfectum quiddam fieri cum
omnia coierunt necesse est.

Sunt tamen qui rudem illam et qualem impetus
cuiusque animi tulit actionem iudicent fortiorem et so-
lam viris dignam, sed non alii fere quam qui etiam in
dicendo curam et artem et nitorem et quidquid studio
paratur ut affectata et parum naturalia solent impro-
bare, vel qui verborum atque ipsius etiam soni rusti-
citate, ut L. Cottam dicit Cicero fecisse, imitationem
antiquitatis affectant. Verum illi persuasione sua
fruantur, qui hominibus ut sint oratores satis putant